

schlummerte er im Herrn und fand in der St. Anna-Kapelle seine letzte Ruhestätte. Das ihm von seinem Nachfolger gesetzte Grabdenkmal rühmt ihn als „insignis pietate vir.“ Korb. Khamm weiht ihm folgenden Nachruf: „Vir doctrina, vitae austeritate, et assidua Chori diu noctuque frequentatione praeclarissimus, plura sacra et profana manuscripta posteritati relinquens, vitam s. Magni typo evulgavit. Inter deploratissimos bellatorum et haeticorum insultus, ac tumultus administrans monasterium, oeconomiae promovendae, et regularis disciplinae conservandae studiosissimus. . .“¹⁾

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

Scholae Benedictinae

sive

De Scientiis opera Monachorum Ordinis S. Benedicti auctis, excultis, propagatis et conservatis Libri Quatuor

a Domino Odone Cambier Monacho Affligeniensis Monasterii
Ordinis ejusd. S. Benedicti.

(Fortsetzung zu Heft II. 1896, S. 239—255.)

VI. Caput XII. Quenam Scientiae et Artes in Benedictinis
Scholis explicatae. Septem artes liberales breviter describuntur.

Scientiae
et artes
Scholarum
nostrarum.

A magistris ad scientias quas discipulis exposuere, gradum facere ratio suadet. Illud autem semel, simulque, hic observandum, me nullo discrimine iam de internis Monachorum, iam de externis Saecularium Scholis verba toto opere facturum. Nam utrobique consimilis docendi labor nostros exercuit, unde illis natae tot palmae lemnisco insignes, et multorum sermonibus decantatae. Trithemii²⁾ verbis ordiri libet: Juniores fratres, inquit, disciplinis instituebantur scholasticis, prout unicuique eorum conveniebat: alii in Gram-

Et vobis reverendi ac honorandi Patres ac Fratres mei gratias ago omnibus ac singulis, qui mihi immerito tot annis reverentiam et obedientiam tam humiliter, quam suaviter exhibuistis, et meos defectus, errores et exorbitantias fraterne et charitative supportastis. Ego ab omnibus mihi veniam dari rogo, si quem offendi per ignorantiam, fragilitatem seu indiscretionem, vel qualicumque modo esset factum.

Aeterna laude Deum glorificent omnes electi ejus, quod hodie mihi concessum est denuo mundum relinquere. Ego vero monasterii hujus membrum incorporatum maneo. Itaque coram vobis Reverendissimis, admodum Reverendis, doctissimisque dominis abbatialem curam ac potestatem resigno et trado, ut venerabili Conventui liberum sit e gremio suo alium Praelatum eligere. Quod Deus Opt. Max. clementissimae fortunet ad sui ss. nominis honorem, et hujus s. monasterii ac subditorum ejus felicitatem. Amen. < Annal. Faue II. 87.

¹⁾ Hierarch. Aug. III. 275. nr. 22.

²⁾ Trithemii lib. I. de Vir. ill. O. S. B. c. 6.

matica, alii in Orthographia; in Rhetorica nonnulli, vel Dialectica; quidam in Musica, Arithmetica, et arte Computistica; alii in Philosophia, atque alii in his iam fundati, ad scripturas introducebantur Theoreticas. Alio loco¹⁾ commendatos scribit Professores à Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometria, Musica, Rhetorica, Poesi.

Ut de singulis exempla demus, Marcellus in divino aequo potens et humanis, Monachos S. Galli suae disciplinae creditos, septem liberales duxit ad artes, ut author est Ekkehardus.²⁾ Memorat S. Beda,³⁾ Metricae artis, Astronomiae et Arithmeticae ecclesiasticae disciplinam a Theodoro in Anglia suis auditoribus traditam. Sed perfectum, et omnibus numeris absolutum paradigma liberalium artium, quas B. Abbo Floriacensis didicit, et explicavit, proponitur ab Aimoino,⁴⁾ quod etsi prolixius, illustrandis tamen Scholis nostris, non gravabor adscribere. Ita igitur habet: Quum vero iam ad tantae profecisset fastigium scientiae, ut aliis quoque percepti talenti, valeret donativum erogare, imbuendis praeficitur Scholasticis. Quos ille per aliquot annorum curricula, lectione simul et cantilena, cum tanta eruditiv cura, ut palam se gaudere monstraret; quod pecuniae sibi creditae lucra augmentare valeret. Verum ipse adhuc maiora gliscens scientiae arcana scrutari, diversorum adiit sapientiae officinas locorum, ut quia Grammaticae, Arithmeticae, necnon Dialecticae, jam ad plenum indaginem forte, addiderat, attigerat,⁵⁾ ceteras ingenio suo pergeret superadiicere Artes. Quapropter Parisios ac Remos, ad eos qui Philosophiam profitebantur profectus, aliquantulum quidem in Astronomia, sed non quantum cupierat, apud eos profecit. Inde Aurelianos regressus, Musicae artis dulcedinem, quamvis occulte, propter invidos, a quodam Clerico non paucis redemit nummis. Itaque quinque ex his, quas liberales vocant, plenissime imbutus artibus, sapientiae magnitudine cunctos praeibat coetaneos. Supererant Rhetorica, necnon Geometria, quarum plenitudinem etsi non ut voluit, attigit, nequaquam tamen ieiunus ab eis funditus remansit. Nam et de Rhetoricae ubertate facundiae, Victorinum quem divinae interpres legis Hieronymus. praeceptorem se habuisse gloriatur, legit. Et Geometricorum multipliciter numerorum non mediocriter agnovit. Sic demum vivaci mentis ingenio haec universa strenue assequuto, facilis erat eorum operatio. Denique quosdam Dialecticorum nodos syllogismorum enucleatissime enodavit, Computique varias et delectabiles, secularium in morem tabularum, texuit calculationes. De Solis quoque

Exemplis
monstran-
tur.

¹⁾ Chronic. Hirsaug. ad an. 890. — ²⁾ Ekkehard. c. 3, de Cas. — ³⁾ Bed. Eccles. Hist. l. 4, c. 2. — ⁴⁾ Aimoin. Vit. S. Abb. c. 3. — ⁵⁾ MS.: affigerat.

ae Lunae, seu Planetarum cursu, a se editas disputationes, scripto posteriorum mandavit notitiae. Sic Aimoinus. En virum praeclarum qui in Scholis Monasticis discens et docens, omnium liberalium artium circulum, quem encyclopaediam vocant, egregie percurrerat.

Specimen
Scholae
Floriacen-
sis.

Porro specimen aliquod Floriacensis Scholae, et traditarum in eadem lectionum habemus in Appendice ad Ingulphum Abbatem Croylandensem, cujus authorem Petrum Blesensem facit Cambdenus, unde et stas cuique disciplinae horas accurate tribui solitas discimus. Scribit autem quatuor Monachos, Gislebertum, Odonem, Terricum, et Wilhelmum ad locum Cotensam vocitatum prope Cantabrigiam devenisse; unde diversis in locis a se divisi, inquit, et formam Aurelianensis studii secuti, summo mane frater Odo, Grammaticus et Satyricus illo tempore singularis, pueris et iunioribus legebat Grammaticam iuxta Prisciam doctrinam, et Remigii in eundem. Ad horam vero primam frater Terricus, acutissimus Sophista, Logicam Aristotelis iuxta Porphyrii et Averrois Isagogas, et commenta, adolescentioribus tradebat. Ad horam vero tertiam frater Wilhelmus Rhetoricam Tulli, Quintilianique flores, perorabat. Magister vero Gislebertus omnibus dominicis diebus et Sanctorum festis, in diversis ecclesiis Verbum Dei ad populum praedicans rudis in Anglicana lingua, sed expeditus in Latina et Gallicana sua, contra Judaeum errorem maxime disputabat; ferialibus autem diebus, literatis et Sacerdotibus, ad ejus auditorium confluentibus, ante sextam horam textum sacrae paginae exponebat. Haec ibi, in quibus observatione dignum, secutos esse hos Magistros formam Aurelianensis Studii, hoc est celeberrimae Scholae Floriacensis, quae in territorio Aurelianensi sita erat, cuius et ipsi morem, utpote Galli, probe norant. Gislebertus autem vocatur hîc Magister, quod esset sacrae Theologiae professor, ut eum nominat author huius appendicis. Obtinet etiam nunc ea nomenclatura apud nonnullos ordinis Mendicantium, qui S. Theologiae Doctores, Patres Magistros appellant.

Studium
Academiae
Oxonienis.

Juvat et Oxoniensis Academiae Lectiones a nostris ibidem habitas adscribere: è quibus ita Annales novi apud Wintoniam coenobii abs Harpesfeldio producti, notabant: Anno Dominicae Incarnationis octingentesimo octogesimo sexto, anno secundo adventus S. Grimaldi in Angliam, incepta est Universitas Oxoniae. Primitus in ea regentibus, ac in sancta Theologia legentibus S. Neoto Abbate, nec

non in Theologia doctore egregio; et S. Grimbaldo sacrae paginae suavissimae dulcedinis excellentissimo professore; in Grammatica vero et Rhetorica regente Assero Monacho, et in arte literaria eruditissimo: in Dialectico vero, Musica, et Arithmetica legente Joanne Monacho Menuensis ecclesiae; in Geometria et Astronomia docente Joanne Monacho, et collega S. Grimaldi, viro acutissimi ingenii, et undecumque doctissimo; praesente, gloriosissimo et invictissimo Rege Alfredo. Hactenus Annales illi.

Scribit vero B. Alcuinus¹⁾ se discipulis tradidisse Grammaticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Geometriam, Musicam et Astrologiam. Ad Quinam Auctores legebantur. quas artes capessendas ita illos hortatur: per has, filii charissimi, semitas, vestra quotidie currat adolescentia, donec perfectior aetas, et animus sensu robustior, ad culmina Sanctarum Scripturarum perveniat. — Venit authores aliquos audire, quorum scripta in Scholis explicata per nostros fuerint? Video plerisque placuisse Donatum in Grammaticis, Tullium et Quintilianum in Rhetoricis, in Philosophis Aristotelem cum Boetii Commentariis. Inter Poetas Virgilio primas dederé. Lego tamen aliter censuisse B. Alcuinum, de quo sic vitae author: Legerat idem vir Domini libros juvenis antiquorum Philosophorum, Virgiliique mendacia, quae nolebat iam ipse nec audire, nec discipulos suos legere, sufficiunt, inquit, divini Poetae vobis, nec egetis luxuriosa sermonis Virgilii vos polui facundia. Quum vero Sigulfus quidam clam Magistro Maronem lectitaret, Sanctus vir id mente à Coelo illustrata edoctus, hominem his verbis excepit: Unde te habemus Virgiliane? cur coepisti ac voluisti contra meam voluntatem ac consilium me ignorante agere, ut Virgilium legeres? Sapienter tamen hanc spartam adornasse visus est Probus, Fuldensis Scholae Magister, de quo iocos istos Lupi Ferrariensis²⁾ ad Altui Monachum Senonensem accipio: Jam vero paene stomachor, inquit, quoniam non scripsisti, quid Probus noster exerceat; scilicet, utrum in saltu germaniae, disciplinas liberales, ut serio dicere solitus erat, ordine currat: an certè inchoatam Satyram. quod magis existimo, struens, Cicero-nem et Virgilium, ceterosque opinione ejus probatissimos viros, in electorum collegium admittat. Sed quid de his plura conquiri? legat, cui otium Deus fecerit, Tomum primum Operum S. Bedae Presbyteri, et varios illos de diversis artibus et scientiis tractatus, studiosis nostris ex certa authoris voluntate destinatos atque conscriptos non dubitet.

¹⁾ Alcuin in Grammat. — ²⁾ Lup. Epist. 6.

Litteris vacare iubentur Monachi. Posterioribus saeculis, ut ex Constitutione Benedicti XII. et Provincialibus Benedictinorum Angliae Capitulis constat, S. Theologiae, et Juri Canonico navare operam iussi sunt Monachi in Pariensi, Oxoniensi, Catabrigiensi et aliis Academiis. In Monasteriis vero, eiusdem Papae decreto fuit Magister, qui Monachos doceret in scientiis primitivis, videlicet, Grammatica, Logica et Philosophia.

Septem artes liberales. Grammatica. Quoniam vero septem liberalium artium peritia nostris potissimum adscribitur, non extra chorum, ut reor, saltabo, si brevem earum descriptionem ex doctissimo nostro Trithemio hic adtexuero. Sic enim Jacobo fratri suo scribit: In primis per Grammaticam artem, quae septem liberalium est fundamentum, te scire oportet, quemadmodum latine scribas, loquaris, congrue, et sine vitio rectum debeas proferre sermonem.

Rhetorica. Rhetorica vulgarem transcendens modum loquendi, pulchrum in dicendo quaerit ornatum, tropis variisque coloribus utitur, et pulchro dulcissimoque sermone propositam sibi causam efferre conatur; quae cum persuaserit, in oratoriae finem cum proposito sibi praemio evasit.

Logica. Logica rationalis scientia te verum discernere docet a falso, ne aut decipiaris subtilitate sermonis, aut fallacium syllogismos incidas argumentationum. Praecedit enim scientia virtutis cultum, quia nemo potest fideliter appetere quod ignorat: et malum nisi cognitum sit, minime caveri potest.

Arithmetica. Arithmetica numeros docet propositos multiplicare, dividere quoque et in omni varietate certam invenire radicem. Omnia numero constant, et qui Arithmeticae ignarus est, nullius habet scientiae perfectionem.

Geometria. Geometricae artis cognitione terrae dimensionem intelliges, ex numeris et mensura consurgentem: pulchra quidem scientia, arithmeticisque decorata figuris, per quam humana ratiocinatio non mediocriter in cognitionem summi consurgit principii. Haec orbis latum metitur ambitum, cunctaque maris et terrae spatia describit, et consummata in cosmographiam ascendit. Nihil hac speculatione pulchrius, in qua mens totius mundi transcendens machinam, incomprehensibilem Creatoris omnium sapientiam admiratur.

Musica. Musica coelestium Harmoniam et consonantiam praefigurans, et arte et moribus tibi necessaria est, qua in Dei Ecclesia ordinatus sacerdos, et recte suaviterque modulatis canere vocibus scias, et sanctis ornatus virtutibus a sacerdotium proportione morum non recedas.

Astronomia quantum tibi sit necessaria magistro, si ignoras, Magister non es. Haec Astrorum docet cursus, discernit tempus, annum dividit, horas discernit et dies: de cuius scientia computus assurgit Ecclesiasticus, festorum dans rationem mobilium, quam scire Sacerdotem Christianorum oportet.

Astro-
nomia.

Linguarum peritiam in Benedictinorum Scholis hauriri potuisse, argumento sunt ipsi Magistri, de quibus iterum ista Trithemius:¹⁾ Ex his multi non solum in Romana lingua docti erant, sed etiam in Hebraica, Graeca et Arabica peritissimi. Talis ut unum recenseam fuit Joannes ille Menuensis Monachus, Academiae Oxoniensis Professor quem non solum Latinam, Graecam, Chaldaicam et Arabicam linguam exacte calluisse;²⁾ sed et in intima totius divinae atque humanae Philosophiae penetrasse referunt Nicolaus Harpesfeldius,³⁾ et Joannes Pitsius.⁴⁾ Scribit autem Venerabilis Beda,⁵⁾ suo tempore adhuc superfuisse discipulos Theodori et Adriani, qui Latinam Graecamque linguam aequae ut propriam in qua nati essent noverant. Haec pauca de multis, quae suo loco, quum de quorundam Coenobiorum Scholis et Magistris disseremus, adferentur.

Linguarum
etiam
peritia
Monachi
pollebant.

Nam ecce legenti Ekkehardum de Casibus Monasterii S. Galli,⁶⁾ occurrit Tutilo, eiusdem loci Coenobita, multarum artium et scientiarum, quas haud dubium domi didicerat, professione insignis. Erat eloquens, verba sunt auctoribus, voce clarus, caelaturae elegans et picturae artifex: Musicus sicut et socii eius, sed in omnium genere fidium et fistularum prae omnibus (nam et filios nobilium in loco ab Abbate destinato fidibus edocuit) in structuris et caeteris artibus suis efficax: concionandi in utraque lingua potens et promptus natura: serio et ioco festivus, adeo ut Carolus Crassus Imperator ei aliquando maledixerit, qui talis naturae hominem Monachum fecerit. Audisti corporis dotes: audi et animi bona: Sed inter haec omnia; quod prae aliis est, in Choro strennus, in latebris erat lacrimosus, versus et Melodias facere praepotens; castus, ut Marcelli discipulus, qui feminis oculos clausit.

Esto Tutilo
S. Galli in
exemplum.

Ceterum quia saepius Musicos, et Musicam hoc opere memorari continget, iuvat de his vocibus, et earum apud veteres significatione nonnulla adnotare.

¹⁾ Trithem. lib. 2, Epist. 1. — ²⁾ Chron. Hirsaug. ad an. 890. — ³⁾ Harpesf. saec. 9, c. 12. — ⁴⁾ Pith. an. Christi 884. — ⁵⁾ Bed. Eccles. Hist. lib. 4, c. 2. — ⁶⁾ Ekkeh. de Cas. Mon. S. Galli c. 3.

VII. Caput XIII. Musicus a Cantore distinctus. Quid Musica, quae eius partes. Discrimen inter antiquam et novam Musicam. Notularum origo. Musicae depravatio et moderatio.

Musicus
Cantorem
praecellit.

Quod veteri iactatur adagio, non omnes qui habent citharam, sunt citharoedi, id de nostri aevi cantoribus usurpari possit. Vulgus Musicos appellat, sed corrupte, quum id nomen paucissimis ex vero conveniat. Canunt illi quidem, et vario vocum fluxu, modulorum munitionibus, incisionibus, extensionibus, audientes oblectare student, verum non ea propter dicendi sunt veri nominis Musici. Observavit hoc iam olim Venerabilis Beda, cuius verba adnumero:¹⁾ Musicorum et Cantorum magna est distantia. Isti dicunt, illi sciunt quae componit Musica. Nam qui canit quod non sapit, definitur bestia; unde versus:

Bestia, non cantor. qui non canit arte, sed usu:
Non facit ars verum cantorem, sed documentum.

In editis exemplaribus est: Non verum cantorem facit ars; sed documentum. Quare non parum alucinantur, qui cantoribus tribuunt, quae sunt Musicorum. Nec minus eos ratio fugit, quum mediae aetatis scriptores ubi Musicorum, et musicae artis meminerint, protinus ex sui temporis more interpretantur, censenteque cantores esse, quales hodie multos videre est, literarum et bonarum artium rudes, quibus illud tribui non iniuria queat, quod Luscinae Lacon ille occentabat: Vox es, praeterea nihil. Quum igitur Sigeberto et aliis historicis Musicus dicitur S. Odo, quum idem de Tutilone praedicat Ekkehardus, quum Aimoinus Abbonem Floriacensem Musicam perdidicisse ait, quum alii denique eiusdem artis peritiam non paucis adscriptum eunt; ita intelligendi sunt, ut numeros omnes boni Musici implesse iudicentur: atque adeo Grammaticae, Arithmeticae, Dialecticae, Poeticae, Rhetoricae artis placita non ignoraverint.

Quod ex
veterum
sententiis
liquet.

Quis autem et quid Musicus ex veterum sensu? Musicus est ille, inquit noster Beda,²⁾ qui ratione perpensa non solum operis servitio, sed etiam speculationis imperio canendi scientiam ministrat. Ex Boetio haec fere descripsit, qui quum docuisset citharoedos, et alios qui organo ceterisque Musicae instrumentis artificium probant, a Musicae scientiae intelletu seiunctos esse, imo et ipsos Poetas, qui naturali quodam instinctu feruntur ad carmen, a Musica quoque segregandos; tandem Musicum ita describit:³⁾ Musicus est, cui adest facultas secundam

¹⁾ Beda de Musica pract. I. — ²⁾ Beda de Musica pract. I. — ³⁾ Boet. lib. I. de Musica. c. 34.

speculationem rationemve propositam, ac Musicae convenientem de modis ac rythmis deque generibus cantilenarum, ac de permixtionibus, ac de omnibus, de quibus posterius explicandum est, ac de Poetarum carminibus iudicandi.

Multa vero et varia plane sunt, quae quatuor sequentibus libris idem Boetius scribit, et explicat, ut Musicam perplexam et involutam disciplinam merito nuncupaveris, adeoque raros inter veteres exstitisse qui eam ad liquidum calluerint. Dicebantur illi Musici, quales non paucos in Chronico Hirsaugiensi et de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti laudat Joannes Trithemius. Musicam vero sic definit et dividit S. Beda: Musica est liberalis scientia, perite cantandi, copiam subministrans. Sed haec dividitur, quia alia instrumentalis, alia humana, alia rythmica. Instrumentalis est dignoscendis et discernendis cantibus attributa. Et haec etiam dividitur, quia alia harmonica, alia rythmica, alia metrica. Harmonica est, quae discernit inter sonos gravem et acutum. Et paucis interiectis: Rythmica vero est illa, quae in scansione verborum requirit, utrum bene vel male cohaereant dictiones: quia cantando vitandum est, tanquam legendo. Metrica vero est illa quae mensuram diversorum metrorum ostendit probabili ratione, ut patet in Heroico, Jambico, et Elegiacometro. Haec Venerabilis Beda, apud quem plusscula de Musicae genere, materia, partibus, speciebus, instrumentis, utilitate et officio legi possunt.

Musica
ejusque
partes.

Illud tamen nullatenus omittendum videtur, magnum inter antiquam Musicam et novitiam discrimen a peritioribus constitui. Imo scribit Guido Pancirollus, nullum hodie veteris musicae exstare vestigium. Illa enim incredibili delectatione auscultantes afficiebat, ut ex scriptoribus deprehenditur: Siquidem una cum melodia integra percipiebantur verba. Quacum si recens haec nostra conferatur, barbara omnino merito erit habenda: siquidem in hac non nisi voces et clamores absque verbis audiuntur. Unde aures tantummodo parumper pascit, absque aliqua intellectus delectatione. Theoria autem ex vocum concentu post inventas notulas ut, re, mi, fa, sol, la, hausta, neque scientia est, neque vetus illa Musica, quae septem constabat vocibus, ut ex illo Virgilio¹⁾ versu deprehenditur:

Antiquae
et novae
Musicae
discrimen.

Obliquitur numeris septem discrimine vocum.

¹⁾ Aeneid. l. 6, v. 646.

Cardinalis Ferrariensis circa hanc indagandam satis multum sudavit; sed frustra. Ars itaque ista plane est exstincta. Nam qui libros de vera hac Musica conscriptos legunt, ad praxin et usum convertere nesciunt. Haec fere Pancerollus. Quocirca ne et nos in eius explanatione milium terebrando tempus teramus, de cantu Gregoriano, seu plano, qui et Usus nonnullis dicitur, aliquid adtexamus.

Vixit abhinc trecentos et amplius annos Hugo Reutlingensis presbyter, qui volumen scripsit cui(titulus) Flores Musicae, cuius interpres haec in prooemio adnotavit: Post Incarnationem Christi plures Doctores S. Ecclesiae, et specialiter S. Gregorius et Ambrosius, Cantum Musicalem, quo tam Latini quam Alemani, cum ceteris linguarum diversarum nationibus utuntur in divino officio, in duo volumina librorum, videlicet in Antiphonarium et Graduale collegit, dictavit, et neumavit seu notavit. Processu tamen temporis, quidam Alemani, et praecipue Canonici S. Benedicti, qui Cantum Musicalem non solum exacte, verum etiam ex usu et consuetudine perfecte et cordetenus didicerant, ipsum, omissis clavibus et lineis, quae in neuma seu nota Musicali requiruntur, simpliciter in libris eorum notare coeperunt, et sic decantaverunt deinde iuniores, et suos discipulos sine arte ex frequenti usu et ex magna consuetudine cantum informare, qui cantus sic per consuetudinem doctus, ad diversa pervenerit loca. Unde iam non Musica, sed Usus est denominatus. In quo tamen cantu discipuli deinde a doctoribus, et doctores a discipulis multiformiter discrepare coeperunt. Ex qua discrepantia, et artis ignorantia, Usus dictus est confusus. Haec ibi Anonymus interpres, cum aliis quae subiicit de Gregoriano Cantus depravatione in Occidentali Ecclesia, quam maxime Alemannica, eiusque restauratione per peritos artis Musicae. Verum de hoc Gregoriano Cantu, quem et Occidentalem, Latinum et Romanum videntur appellasse, exstarent ipsius Gregorii, item Romani Monachi, et Notkeri Balbuli de Musica libri, quum rem quis addubitet, nos facerent certiores.

Quod spectat ad notulas Musicae, earum inventorem Notularum origo. Monachum fuisse scribit Pancirollus his verbis: Recentiores autem Musicae Notulae, quas vocant, originem trahunt ex Hymno divo Joanni sacro, quem Monachus quidam in Officiolo suo ad hunc modum habebat consignatum:

*Ut queant laxis
resonare fibris
Mira gestorum
famuli tuorum
Solve polluti
Labbii reatum
Sancte Joannes.*

Ex hoc Hymno Religiosus iste, primas cuiuslibet versus syllabas, quae sunt Ut, re, mi, fa, sol, la pro primis notis cantus posuit: et cantu isto in manus collocato, cantare incepit ac voces cum notis, quas in lineas posuerat, in concordiam redigere. Ita Pancirollus.

Monachus autem ille, cuius hic meminit, non quod quidam opinantur, Paulus Diaconus, Casinensis, Carolo Magno perquam carus et gratus, quemque authorem eius Hymni tam veteres quam neoterici faciunt; sed Guido Aretinus, Monachus itidem Benedictinus, cui Notularum inventionem tribuendam rectius alii censent. Florebat ille ad annum Christi praeter propter millesimum duodecesimum, hoc est ducentis et amplius a morte Pauli Diaconi annis. Guido igitur, quem et Abbatem alii scribunt, Musicorum princeps insignis, ut ait Trithemius,¹⁾ de Musica pulchrum conscripsit opusculum, per cuius regulas disciplina cantus ad faciliorem modum redacta est. Quod quemadmodum acciderit ita ex variis authoribus prodit Arnoldus Wionius:²⁾ Beatus Guido Aretinus, Monachus et Abbas Eremitae S. Crucis de Avellana, Ordinis s. Benedicti, Musicae studiis deditus, audita Musicae Graecorum suavitate, vidensque Latinos ea harmonia carere. ut possent congrue exsolvere laudes Dei Altissimi, ieiuniis et orationibus aures divinae Maiestatis defatigabat, ut aperire sibi dignaretur viam, quomodo ipse universae Ecclesiae opem ferre posset: nec secum cogitare desinebat, quomodo sicut Graeci quasdam haberent syllabas, per quas Musicae disciplina traditur, idem quoque dogma Latinis faciliiori aliquo modo exprimi posset; quando coelitus illi in mentem ponitur, id ex initio Hymni, Ut queant laxis resonare fibris, S. Joannis Baptistae, facillime posse desumi. Ad quem oculos coniciens, sex syllabas, Ut, re, mi, fa, sol, la, ex eo notans, novam vocum flectendarum edidit disciplinam, quae in hunc usque diem a Musicis constantissime observatur. Manum praeterea. ut vulgo vocamus, per literas flexuris digitorum sinistrae manus adiungere docuit, ex quibus omnibus Musicae perfectissima hodie redditur institutio. Haec de notularum origine Wionius.

Quae
Guidoni
Aretino
tribuitur.

Musices vero totius renovationem et novorum modorum adiectionem, notarumque transformationem factam ferunt circiter annum Domini M.CCC.LX. ad quem Petrus Herpius, Dominicanus Monachus, in Chronico Francofortensi ita scribit: Musica ampliata est. Nam novi Cantores surrexere, et Componistae et Figuristae inceperunt alios modos assuere. Etenim prius ex usu tantum addiscebant canere, neglecta artis disciplina,

Musica
nova seu
cantus
figuralis.

¹⁾ Trith. Chron. Hirsaug. ad. an. 1020. — ²⁾ Wion. lign. Vit. lib. 5, c. 11.

quae primum anno illo, aut non multum ante reducta videtur in Ecclesia Occidentali, ut praeter Herpium locuples testis est innotatus Hugonis Reutlingensis interpres, qui illo ipso tempore vixit. Vanitate usus postposita, inquit, cuncti Cantores, qui haec usum didicerant, et cantaverant per consilium auctoris huius operis ad veram artem cantandi revertuntur, quae ars est Musica. Videtur et tunc primum Musica partiri coepta in Choralem, et figuralem, suisque singulae notulis propriis scribi

Ejusdem
depravatio Ceterum dubitet aliquis, an non ante haec tempora cantus figuratus, hodierno similis usurpatus sit. Nam ecce Joannes Sarisberiensis, qui anno Christo M.C.XL. in pretio ob eruditionem erat, dum Phrygium modum inter aevi sui labes numerat, iis illum verbis describit et proscribit, quae ad nostri temporis modulos referri possint. Sic enim loquitur:¹⁾ Ipsum quoque cultum religionis incestat, quod ante conspectum Domini, in ipsis penetralibus Sanctuarii, lascivientis vocis luxu, quadam ostentatione sui, muliebribus modis notularum, articulo- rumque caesuris, stupentes animulas emollire nituntur. Cum praecinentium et succinentium, canentium et decinentium, intercinentium et occinentium praemolles modulationes audieris, Sirenarum concentus credas esse, non hominum, et de vocum facilitate miraberis, quibus Philomena vel Psittacus, aut si quid sonorius est, modos suos nequeunt coaequare. Ea siquidem est ascendendi, descendique facilitas; ea sectio vel geminatio notularum, ea replicatio articulo- rum, singulorumque consolidatio sic acuta vel acutissima, gravibus et subgravibus temperantur, ut auribus sui iudicii fere subtrahatur auctoritas. Sic ille. Quibus videsis an geminae sint Cantorum nostrae aetatis minuritiones, figurationes, et liquidi sonorum ductus; certe Pius IV. Pontifex maximus non alio quam corruptelae loco illos habuit. Nam quum etiam temporibus suis animadvertisset, in aedium sacrarum cantu atque symphonia nihil prope aliud esse, nisi quasdam minuritiones delicatas, et frequetamenta inania vocularum, e quibus fructus ad pietatem nullus colligeretur, Tridenti in Concilio orbis terrae proponere constituerat, de Musica e sacris templis eiicienda, iamque de negotio, in sermone familiari, cum purpuratis patribus, et aliis illustribus Hierarchis egerat. Quod eius consilium cum et mo-
deratio. Joannes Praenestinus rescivisset, qui Choro summi Pontificis, et Musicae praeerat, ut ingenio fuit artificioque nobilis, prompte Missas ea temperatione composuit, ut detractis

¹⁾ Sarisber. Polycrat. lib. 1, c. 6.

illis velut cincinnis, modulisque vocum suavibus, quibus antea solae aures capiebantur, et retineretur symphonia, et verba omnia plane et liquide intelligerentur. Illas vero cum Pontifex audivisset, et videret utilitatem, quae percipi potest e divinis rebus quae canuntur intellectis, cum suavitate posse coniungi, voluntatem illam abiecit, et putavit non tam esse de Musica tollenda cogitandum, quam de adhibenda moderatione. Narrat haec Ludovicus Cresollius, in *Mystagogo*, ubi et disquirat an cantus figuratus in sacris templis sit adhibendus.

VIII. Caput XIV. Cantorum Scholae a Benedictinis potissimum institutae et propagatae. Magistri Cantionis, Scholae Priores qui Caroli Magni in propagando Cantu Gregoriano studium laudatum.

Properanti iam ad illustrandas Scholarum Benedictinarum exercitationes, manum iniicit Joannes Diaconus, iubetque celeberrimas Cantorum Scholas, quae natales suos Gregorio Magno, splendidissimo Benedictinae familiae sideri, debent, in praesentiarum recludere. Morem haud aegre geram, sed duce potissimum ipso Joanne, qui rem totam posterorum memoriae non invidit. Notandum igitur primum ex Horatio Tigrino¹⁾ aliisque cum Notae Musices, nondum sex illis syllabis, ut, re mi, fa, sol, la, distinctae essent, et spiritu quodam gutturis potius, quam voce proferrentur, S. Gregorium septem literas A, B, C, D, E, F, G, advenisse, quarum sonis voces unam ab altera discrevit, quae ultra annos quingentos sex illarum syllabarum loco, cantui serviere. Qui quidem cantus eiusdem Sanctissimi Pontificis decreto firmus appellatus est. Dicitur etiam Cantus planus, est figurati basis, nec longo ei intervallo postponendus. Immo illius imperitum Musicum, vix dignum censebis qui palum in pariete figat.

D. Gregorius M. Benedictinus cantum planum firmavit.

Nec satis habuit optimus Maximus Pontifex reperto cantu rem divinam cum ad pietatem tum ad maiestatem extulisse, verum et curam post haec de servando et propagando cantu suscepit, cuius discendi gratia, scholam unam ad S. Petrum, in Vaticano; alteram ad S. Joannem in Laterano aperuit. Sed iam Joanni Diacono prolixius haec referenti locum dare, auremque tantisper praebere non sit molestum. Ita enim de S. Gregorio scribit:²⁾ deinde in domum Domini, more sapientissimi Salomonis, propter Musicae compunctionem dulcedinis, Antiphonarium centonem cantorum studiosissimus nimis utiliter compilavit. Scholam quoque Cantorum, quae hactenus eiusdem

Romae Cantus plani scholas instituit.

¹⁾ Tigrin. *Compend. music. lib. 1, c. 14.* — ²⁾ Joann. in *Vit S. Gregor. lib. 2, c. 6.*

institutionibus in Sancta Romana Ecclesia modulatur, constituit; eisque cum nonnullis praediis duo habitacula, scilicet alterum sub gradibus Basilicae B. Petri Apostoli, alterum vero sub Lateranensis Patriarchii domibus fabricavit. Vides redditus annuos Cantoribus destinatos, et domos eorum habitationi extractas? observa et modo Beatissimi Antistitis sollicitudinem, ne sumptus frustra essent.

Ips
ibi ma-
gister
cantus

Urget ipse praesens discentes, ne partem ullam diei vacasse videas cura, industria, vigilia tanti viri. Quis credat orbis terrae, et omnium ecclesiarum solitudine pressum, tantum laboris sumere voluisse aut potuisse, ut canentibus pueris adesse, imo et praeesse virga timendus ipse non sit dedignatus? Nam subiicit Joannes Diaconus: Ubi usque hodie (in Schola Lateranensi) lectus eius, in quo recubans modulabatur, et flagellum ipsius quo pueris minabatur, veneratione congrua cum authentico Antiphonario reservatur: quae videlicet loca per praecepti seriem sub interpositione anathematis ob ministerii quotidiani utrobique gratiam subdivisit.

Cantus
Greg. pro-
pagatur
per Galliam
et Germaniam

Pergit dein Joannes de propagato per Occidentem Gregoriano Cantu. Huius modulationis dulcedinem inter alias Europae gentes Germani, sive Galli discere, crebroque rediscere insigniter potuerunt: incorruptam vero, tam levitate animi, quia nonnulla de proprio Gregorianis Cantibus miscuerunt, quam feritate quoque naturali servare minime potuerunt. Alpina siquidem corpora, vocum suarum tonitruis altissime prestrepantia, susceptae modulationis dulcedinem proprie non resultant: quia bibuli gutturis barbari feritas, dum inflexionibus, et percussionibus mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore, quasi plaustra per gradus confuse sonantia rigidas voces iactat, sicque audientium animos, quos mulcere debuerat, exasperando magis, ac obstrependo conturbat. En causam et simul salsum in Germanos ditorium, quod utrumque an etiam nunc usurpari queat, definiat alius, qui gentis morem probe noverit. Illud compertum habeo, temperantiam ad vocis suavitudinem conservandam multum conducere. Observat Isidorus Hispalensis,¹⁾ Cantores leguminibus saepe usos, ad liquidae vocis bonitatem, unde et Fabarii nominabantur.

¹⁾ Isid. de Offic. Eccles. lib. 2, c. 12.

Ad Joannem Diaconum redeo, qui filium coeptae narrationis ita pertextet. Hinc est, quod huius Gregorii tempore cum Augustino tunc Britannias adeunte, per Occidentem quoque Romanae institutionis Cantores dispersi, barbaros insigniter docuerunt. Quibus defunctis, occidentales ecclesiae ita susceptum modulationis vitiarunt, ut Joannes quidem Romanus Cantor cum Theodoro aequae civis Romano, sed Eburaci Archiepiscopo, per Gallias in Britanniam a Vitaliano sit praesule destinatus: qui circumquaque positarum ecclesiarum filios ad pristinam Cantilenae dulcedinem revocans, tam per se, quam per discipulos suos multis annis doctrinae Romanae regulam conservavit.

Dein per
Britanniam

Meminit horum Cantorum Venerabilis Beda,¹⁾ nam de Acca Episcopo scribens haec habet: Cantorem quoque egregium nomine Maban, qui a successoribus discipulorum beati Papae Gregorii in Cantia fuerat cantandi sonos edoctus, ad se suosque instituendos accersit. Laudat etiam a cantu Jacobum Diaconum²⁾ S. Paulini Eboracensis Episcopi, quem S. Gregorius in Angliam cum aliis miserat. Qui quoniam, inquit, cantandi in ecclesia erat peritissimus, recuperata postmodum pace in provincia crescente numero fidelium, etiam Magister Ecclesiasticae cantionis iuxta morem Romanorum seu Cantuariorum multis coepit existere. Theodorus porro eiusque discipuli per varias Britanniae provincias cantum edocuerunt, quod idem Beda³⁾ tradit his verbis: Et sonos cantandi in Ecclesia, quos eatenus in Cantia tantum noverant, ab hoc tempore per omnes Anglorum ecclesias, discere coeperunt. Primusque excepto Jacobo (de quo supra diximus) cantandi Magister Nordanhumbrorum ecclesiis Eddi cognomento Stephanus fuit invitatus de Cantia a reverendissimo viro Wilfrido.

Praeclari
Cantionis
Magistri.

Ceterum qui vocatur hic a Beda Magister cantionis, seu cantandi, in Ordine Romano dicitur Prior Scholae, Cantorum videlicet; a Glabro Rudolpho, Scholae Capitalis. Ita enim in gestis Wilhelmi I. Abbatis Reomaensis XXXII. scribit:⁴⁾ Constituitur etiam divini Officii assiduus custos, ac Scholae Capitalis illius loci. Videmus enim

Priores
Scholae
iidem ac
Magistri
Cantus.

¹⁾ Bed. Hist. Angl. l. 5, c. 21. — ²⁾ Lib. 2, c. 20. — ³⁾ Lib. 4, c. 2. — ⁴⁾ Cap. 3.

hodieque, inquit Roverius hunc locum illustrans, eos qui id muneris gerunt, non in Italia minus, quam in Arelatensi, ac Narbonensi provincia dici Capischoloso Pleraeque ecclesiae tam Clericorum quam Monachorum, nunc Praecentores, nunc Cantores, nunc Magistros Chori, nunc alio id genus nomine vocitant. Graeci posteriores extra aulam Protopsalten, in aula domesticum psalten apellarunt. Itaque ut in Ordine Romano memoratur prior Scholae, qui toti praeerat, et secundus Scholae, ac tertius Scholae quorum unus dextrum, alter sinistrum Chorum regebat; ita Codinus¹⁾ officia ecclesiae Constantinopolitanae haec habet: ὁ πρωτοψάλτης, οἱ δύο δομῆστικοὶ τοῦ πρώτου καὶ τοῦ δεύτερου χοροῦ. Protopsaltes, duo domestici, primi et secundi Chori. Ex his videas Cantorum Scholam non aliud fuisse, quam Ecclesiasticorum, qui cantare in sacris aedibus soliti, coetum. Neque vero Clericorum tantum, sed Monachorum etiam fuit hic Scholae usus. Nam in Ordine Romano cap. de ordine ad faciendum Monachum ita legitur: Prior Scholae ad nutum Abbatis imponit Antiphonam.

Carolus
Mg. Cantus
Greg. pro-
pagator
insignis

Ceterum, ut quae de Gregoriani Cantus per Occidentis Ecclesias dicere institueram propagatione. persequar; maior eius ratio haberi, coepta, ex quo Carolus Magnus, religiosissimus et fortissimus Imperator, Ecclesiae decorem et majestatem inter primas curas complexus est. Exprimi sane verbis nequit, quantum in ea parte laborarit, dum non regiis tantum decretis Cantum doceri ubique voluit, verum et operam saepius dedit ut peritos eius artis Magistros Provinciae haberent nec ipse infra magnitudinem suam ratus est. si canentium choris censor et arbiter quandoque misceretur. Hinc in Capitulari²⁾ ad Theodonis Villam anno Christi DCCCV. statuit: Ut Cantus discatur, et secundum ordinem et morem Romanae Ecclesiae fiat. In Aquisgranensi vero Capitulari³⁾ praescripsit: Ut Scholae legentium puerorum fiant, Psalmos, Notas, Cantus, Computum, Grammaticam, per singula Monasteria vel Episcopia discant. De Monachis autem aequè sollicitus, ibidem ista subiecit:⁴⁾ Monachi ut Cantum Romanum pleniter et ordinabiliter per nocturnale et gradale officium peragant, secundum quod beatae memoriae genitor noster Pippinus rex decertavit ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit, ob unanimitatem Apostolicae Sedis, et sanctae Dei Ecclesiae pacificam concordiam.

¹⁾ Codin. Pendad. 7. — ²⁾ Capit. num. 2, tom. 2, Conc. Gallie. — ³⁾ Capit. num. 12. — ⁴⁾ Ibid. num. 80.

Iam vero quis referat, quemadmodum Gregorianae Scholae Cantores aestimaverit, atque abs Hadriano I. et Leone III. summis Pontificibus non semel expetierit, et in beneficii loco posuerit, se voti compotem factum? Agunt de his Joannes Diaconus,¹⁾ Sigebertus Gemblacensis,²⁾ S. Antoninus,³⁾ Radulphus Tungrensis,⁴⁾ et alii historici; verum nullus tam accurate quam Egolismensis Monachus in vita Caroli Magni, quam tom. II. Scriptorum Historiae Francorum inseruit Andreas du Chesne. Ita porro ad annum DCC.LXXXVII. quo Carolus Romae agebat, loquitur: Ecce orta est contentio per dies festos Paschae inter Cantores Romanorum et Gallorum. Dicebant se Galli melius cantare et pulchrius quam Romani. Dicebant se Romani doctissime cantilenas Ecclesiasticas proferre, sicut docti fuerant a S. Gregorio Papa: Gallos corrupte cantare, et cantilenam sanam destruendo dilacerare. Quae contentio ante domnum regem Carolum pervenit. Galli vero propter securitatem domni regis Caroli valde exprobrabant Cantoribus Romanis. Romani vero propter auctoritatem magnae doctrinae, eos stultos, rusticos et indoctos, velut bruta animalia, affirmabant, et doctrinam S. Gregorii praeferebant rusticitati eorum. Et cum altercatio neutra parte finiret, ait domnus piissimus rex Carolus ad suos Cantores: Dicite palam, quis purior est, et quis melior, aut fons vivus, aut rivuli eius longe decurrentes? Responderunt omnes una voce, fontem, velut caput et originem, puriorem esse: rivulos autem eius, quanto longius a fonte recesserint, tanto turbulentos et sordibus ac immunditiis corruptos. Et ait domus rex Carolus: Revertimini vos ad fontem S. Gregorii, quia manifeste corrupistis cantilenam ecclesiasticam.

Quanti
fecerit
Romanos
Cantores.

Mox petiit domnus rex Carolus ab Adriano Papa Cantores, qui Franciam corrigerent de Cantu. At ille dedit ei Theodorum et Benedictum, Romanae Ecclesiae doctissimos Cantores, quia S. Gregorio eruditi fuerant: tribuitque Antiphonarios S. Gregorii, quos ipse notaverat nota Romana. Domnus vero rex Carolus revertens in Franciam misit unum Cantorem in Metis civitate, alterum in Suessionis civitate, praecipiens de omnibus civitatibus Franciae Magistros Scholae Antiphonarios eis ad corrigendum tradere, et ab eis discere cantare. Correcti sunt ergo Antiphonarii Francorum, quos unusquisque pro arbitrio suo vitaverat, addens vel minuens, et omnes Franciae Cantores didicerunt Notam Romanam, quam nunc vocant

Ab Adriano
Pp. Can-
tores petit

¹⁾ supra c. 9. — ²⁾ In Chron. an. et. — ³⁾ part. 2, c. 3. l. 13. 5. — ⁴⁾ propos. 12.

Notam Franciscam: excepto quod tremulas, vel vinnulas, sive collisibiles vel secabiles voces in cantu non poterant perfecte exprimere Franci naturali voce barbarica, frangentes in gutture voces potius quam exprimentes. Maius autem Magisterium cantandi in Metis civitate remansit. Quantumque Magisterium Romanum superat Metense in arte cantilenae, tanto superat Metensis cantilena ceteras Scholas Gallorum. Haec Egoslismensis.

Porro quum rursus Galli ad ingenium rediissent, nec satis ex decro et voto religiosissimi Principis canerent, mittens denuo Imperator Carolus Romam ad Adrianum Papam, (verba sunt Ekkehardi¹⁾) rogat, ut iterum ei mittat duos Romanos Cantuum gnaros in Franciam. Tunc Papa regiis precibus annuens, secundo duos mittit cum authenticis Antiphonariis, et septem liberalibus artibus, quorum indicio Imperator omnes quidem corripisse dulcedinem Romani Cantus levitate quadam agnovit. Vocabatur autem unus eorum Petrus, et alter Romanus, Cantuum et septem liberalium artium paginis admodum satis imbuti.

Metensem Ecclesiam ut priores adibant, qui cum in septimo, lacuque Cumano, aere Romanis contrario quaterentur, Romanus febre correptus vix ad nos usque pervenire potuit. Antiphonarium vero secum, Petro renitente, vellet nollet, cum duos haberent, unum S. Gallo attulit. In brevi autem tempore Domino se juvante convaluit Romanus de febre. Petrus quidem pergit ad Imperatorem, qui comperto de Romano, mittit celerem nuntium, qui cum si convalesceret, nobiscum stare, nosque instruere iuberet, quod ille quidem patrum hospitalitati regratiando libentissime fecit.

Dein uterque, fama volante, studium alter alterius cum audisset, aemulabantur pro laude et gloria naturalis gentis suae more, uter alterum transcenderet. Memoria dignum est, quantum hac aemulatione uterque locus profecerit, et non solum in Cantu, sed et in ceteris doctrinis excreverit. Feceerat quidem Petrus ibi Jubilos ad Sequentias quas Metensis vocant: Romanus vero e contra Romane et amoene de suo nobis Jubilos modulaverat, quos utique post Sanctus vir Notkerus, quibus videmus verbis ligabat, Frigidorae videlicet et Occidentanae, quas sic nominabant. quibus animatus etiam ipse de suo excogitavit.

Romanus autem, quasi nostra prae Metensibus extollere fas fuerit, Romanae sedis honorem S. Galli Coenobio siquidem ita inferre curavit. Erat Romae instrumentum quoddam et theca ad Antiphonarii authenticici publicam omnibus adventantibus inspectionem repositorium forte

¹⁾ Ekkehard in Vit. Notk. Balb. c. 9.

repositum, quod a Cantu dicebatur Cantarium. Tale namque ipse apud nos instar illius circa aram Apostolorum cum authentico locari fecit: quem ipse attulit exemplato Antiphonario. In quo usque hodie in cantu si quid dissentitur, quasi in speculo error eiusmodi universus pervidetur atque corrigitur. In ipso quoque primus ille literas Alphabeti significativas, Notulis, quibus visum est, aut susum, aut iusum, aut ante, aut retro, assignari excogitavit, quas postea cuidam Lamperto amice quaerenti B. Notkerus Balbulus dilucidavit. Haec ibi: quae non piguit exscribere, tum quod rarus is scriptor in Bibliothecis, tum ut studium piissimi Imperatoris, quo Cantum Gregorianum per Occidentem disseminatum ivit, non ignorarent posteri.

Ceterum ut et lucis aliquid Ekkehardo per transennam demus; Frigidorae et Occidentanae sunt Hymnorum et Sequentiarum, ut vocant, genera, sic dicta a tropis et modis Musicis, quos Monachi Martianum Capellam secuti, Tonos appellare maluerunt. Frigidoraram originem a Graecis, Occidentanarum ab Latinis esse, vel ipsa nomina docent. Nam Frigidorae constant ex modis, quos Graeci vocant Phrygium et Dorium, de quibus praeter Augustinum, Isidorum, Boethium, et Martianum, videndus Glareanus in *Dodecachordo*, et post Vincentium Galilaeum de nova et antiqua Musica. Eritius Puteanus in *Musathena*. Occidentanae videntur mutatis Graecae Ecclesiae modis a S. Ambrosio inventae et a Gregorio Magno in Occidentali Ecclesia institutae.

Quae sint
Frigidorae
et Occi-
dentanae

Quid per Susum et Iusum intelligat Ekkehardus, haud rectius coniectaveris, quam si dicas Ekkehardum scripsisse susum pro sursum, atque ita conveniet cum iusum vel ipsum, quod valet deorsum. Habetur haec vox in Legibus Alemanicis tit. 45, Pausare arma sua iosum. Ac Hispani similiter metter de yuso.

Quid susum
et iusum

Quod autem Carolum Magnum etiam Cantoribus frequenter adfuisse, imo et praefuisse, dicebam, id etiam Sangallensis Monachus, qui eius gesta libris duobus complexus est, non semel prodidit. Scribit enim in Palatio fuisse Scholam Cantorum, et Augustum in more habuisse ad nocturnas surgere vigiliis. Gloriosissimus Carolus, inquit,¹⁾ ad Nocturnas Laudes pendulo et profundissimo pallio utebatur. Expletis vero Hymnis matutinalibus, ad caminatum reversus, imperialibus vestimentis pro tempore ornabatur. Quomodo autem in Vigiliis se gesserit idem ita describit, simulque ritum canendi Lectiones pandit:²⁾ Nullus in Basilica doctissimi Caroli

Carolus
Mg. Cantor
ipse et
Cantus
Magister.

¹⁾ Sangall. l. 1, num. 33. — ²⁾ Ibid. num. 7.

Lectiones cuiquam recitandas iniunxit, nullus ad terminum, vel ceram imposuit, vel saltem ungnibus quantulumcumque signum impressit, sed cuncti omnia quae legenda erant, ita sibi nota facere curaverunt, ut quando inopinato legere iuberentur, irreprehensibiles apud illum invenirentur. Digno autem vel baculo protento, vel ex latere suo ad procul sedentes aliquo directo, demonstravit quem legere oporteret vel voluisset. Finem vero Lectionis sono gutturis designavit, ad quem universi ita intente suspensi sunt, ut sive finita sententia, seu in media distinctione, sive subdistinctione significaret, nullus sequens superius, aut inferius inciperet, quantumcumque incongruum initium vel finis videretur. Et hoc modo factum est, ut etiamsi non intelligerent omnes, in eius Palatio Lectores optimi fuissent. Nullus alienus, nullus etiam notus, nisi legere sciens et cantare, Chorum eius ausus est introire. Quales vero viri ex Caroli Schola prodierint, ita memorat: De discipulis eius nullus remansit, qui non vel Abbas scientissimus, vel Antistes extiterit clarissimus. Fuerunt in eius Schola duo molinariorum filii, de familia S. Columbani, quos quia non congruit ad Episcoporum vel Coenobiorum regimen sublevari, tamen per merita, ut creditur, Magistri sui Praeposituram Bobiensis Monasterii unus post unum strenuissime gubernaverunt.

Atque haec de Musicis Benedictinis et Cantorum Scholis observata, sacrorum rituum peritis non iniucunda fortassean videbuntur.

(Continuatur in fasc. seq.)

Beiträge zur Geschichte der Schottenabtei St. Jakob und des Priorates Weih St. Peter (O. S. B.) in Regensburg.

Mitgetheilt von G. A. Renz, Archivar, Pfleger der königl. württembergischen Commission für Landesgeschichte, Mitglied der Görresgesellschaft u. a. gel. Ges.

(Fortsetzung zu Heft II. 1896, S. 229—239.)

1384. — Johannes Eysengrin, Doct. Can. Ratisp. ac Passav. und Regensburger Generalvicar vidimiert die Urkunde des Erfurter Schottenabtes Patricius¹⁾ über die Subjection des Erfurter Klosters unter das Regensburger und die Visitationsrechte von dessen Abt d. d. 1384. Jan. 21. (s. o.) 193.

Original i. Schottenarchiv zu Regensburg.

¹⁾ Diese Erklärung wiederholte Abt Johannes von Erfurt i. J. 1582.